

fiscalium nomine insigniebantur. *m)* Pari quoque ratione, quia in titulis illis solebat caussa saepissime indicari, *n)* pro ipsis caussis, vel veris, vel falsis, haud raro nomen tituli adhibebatur. *o)* Ex quo quidem & hoc venit, ut specialis illa

pertinent, tituli vocari solent. Ita & Institutionum & Pandectarum & Codicis libri distinguuntur titulis, de quorum denominatione vid. CUIACIUS in paratitulis in libros 50 Digestor. pr. Titulorum quoque edicti perpetui fit mentio in *L. 1. pr. D. de collat. bonor. L. 195. §. 3. D. de V. S. L. 1. pr. & §. 7. D. de postul. L. 1. D. de R. C.*

*m)* de his est titulus in Cod. *de canone largitionalium titulorum.* (X. 23.) Conf. *L. 17. 18. C. Theod. de exact.* (XI. 7.) Tom. IV. ed. RITT. p. 84 sqq.

*n)* Fiebat hoc, uti in reliquis titulorum generibus, ita in primis quoque in his, quibus supplicii, quod de reo sumebatur, caussa indicabatur. Huc spectat locus SVETON in *v. Calig. c. 32. Romae publico epulo, seruum ob detractam lectis argenteam laminam carnifici confestim tradidit, ut, manibus abscissis atque ante petus e collo pendentibus, praecedente titulo, qui caussam poenae indicaret, per coetus epulantium circumduceretur.* Alium huius

generis titulum proponit idem in *v. Domit. c. 10.* Ita D. IOANNES in euangelio XIX, 19. 20. *τίτλον* dicit inscriptionem, quam *Pilatus* cruci seruatoris imposuit. Simili ratione, si quis fustibus caedebatur, solebat a praecone superdici caussa fustigationis, uti est in *L. 13. in f. D. de iureiur. & in L. 16. C. ex quibus causs. infam. irrogat.* Add. BRISSON. *de form. Lib. V. c. 230.*

*o)* Hunc significatum tituli egregie declarant versus OVIDII *de arte am. II. 287 sqq.*

*At, quod eris per te facturus, & utile credis*

*Id tua te facito semper amica roget.*

*Libertas alicui fuerit promissa tuorum;*

*Hanc tamen a domina fac petat ille tua.*

*Si poenam seruo, si vincula saeuam remittis;*

*Quod facturus eras, debeat illa tibi.*

*Utilitas tua sit: titulus donetur amicae.*

Ita quoque PAVLVS in *L. 60. §. 4. D. de ritu nuptiar. de tutore, quid*